



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

23. Vade post me Satana: scandalum es mihi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39463

talis hominis facultatem non excedere? Aut si hoc non putat; quo demum iudicio, qua mēte, Petri potestatem superius ad mortalis hominis facultatem restrinxit, nūc verò ad mensuram gratiae restrinxit? Atqui aduertere Calvinus debuit mortalis hominis facultatem in potestate rerū spiritualium nullam esse; iuxta illud Christi: *Sine me nihil potestis facere*: mensuram autem gratiae, ad quaelibet praestanda facultatem dare; iuxta illud Pauli: *Omnia possum in eo qui me confortat*. Verè igitur quicquid Petro datum est, non ad mortalis hominis facultatem, ut prius disputavit, sed ad mensuram gratiae qua donatus est, ut nunc disputat, expendendum est. Christus autem qui amplissimam potestatem Petro dedit, gratiae quoque mensuram copiosam ei dedisse credendus est. Nam idcirco vni Petro postea dixit, *Ego rogavi pro te ut fides tua non deficiat*. Et hoc ipso in loco Christus ei dicit: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Christus seipsum aedificaturum dixit. Illo igitur aedificante super Petrum, stabit Petrus, & stabit aedificium. *Si enim Dominus aedificauerit ciuitatem, non frustra laborant qui aedificant eam*.

Ioan. 15.

Philip. 4.

Luc. 22.

Psal. 126.

Nunc tamen post tam insulsam disputationem vide quantum triumphum agat Calvinus. Ita concidit immensum illud Imperium quod illi arrogant Papista. Triumphum sanè cecinit, sed ante victoriam. Quare adhuc in omnem se partem vertens, alia rem aggreditur via. Primum disputat Petri primatum ad successores transire non posse: quod multis tamen argumentis necessarium esse, alibi demonstraui. Deinde Romanum Pontificem Petri non esse successorem declamatur, contra omnem antiquitatem affirmans Petrum Romae Episcopum non fuisse: quam dementiam refutauimus ad illa Petri verba in fine epist. 2. *Salutat vos Ecclesia qua in Babylone est*. Tertiò ac postremò debacchatur in Rom. Pontifices horum temporum, quod officium non faciant, ideòque inter Petri successores non habendos esse. Quae tota oratio contumeliis plena, & argumentis vacua, seipsam satis abundè refutat.

Princip.
fid. lib. 6.
cap. 15.

23. *Vade post me Satana: scandalum es mihi.*

Scripturae Evangelicae corruptor Calvinus non solum hanc Petri reprehensionem durius & acerbius exponit quam textus ferat, sed etiam in vniuersum Catholicorum pias intentiones & deuotiones circa voluntarium Dei cultum exagitat,

rat, quasi penitus Satanicas, & à Christo hoc loco acerrimè damnatas. De Petro dicit, quòd præpostero suo zelo Satana partes obiret; neque simpliciter à Christo aduersarium vocari, sed diaboli nomen ei imponi in signum maxime detestationis. Nam & diabolus eisdem verbis à Domino repulsum fuisse. Cap. 4. & verbum ὀπίωυ faceffere significare, unde Latinum *Apage* deductum est: ideòque ineptè quosdam philosophari in verbo retro, vel post me, quasi iubeatur Petrus sequi, non præire. Hæc ille, & ex hac expositione deprauata colligit, docere hoc loco quid valeant coram Deo quæ bonæ putantur intentiones, & hinc videri quanta pertinacia suas deuotiones venditent Papiſta. Denique Christum in vnius Petri persona, cuius pia fuit intentio vel saltem probabilis, si sensus & iudicium carnis valeant, compescere omnes voluisse ne zelo suo indulgeat. Demum concludit. Eant nunc Papiſta, & sua placita in calum extollant. Hæc est hoc loco Caluini pugna, victoria, triumphus. Sed non nisi verborum fumi ac strepitus sunt.

Petri reprehensionem tam acerbam non fuisse, tum sancti Patres tradiderunt, tum textus ipse & litera satis ostendunt.

Tract. 1. in Dixit Christus Petro (ait in hunc locum Origenes) *Vade post*
Matth. *me, quasi desistenti per ignorantiam ire post Christum. Satana*
Petri re- *autem dixit ei, quasi per ignorantiam aliquid habenti contra-*
prehensio- *rium Deo. Hæc ille. Quem sensum magis explicans D. Hiero-*
qualis. *ronymus ait. Mihi error Apostolicus de pietatis affectu veniens*
In cõment. *numquam incentiuum videbitur diaboli. Sed quia contraria lo-*
in hunc lo- *quebatur voluntati Christi, debuit aduersarius appellari. Satana*
cum. *enim interpretatur aduersarius, siue contrarius. Non tamè,*
vt plerique putant, eadem Satana & Petrus sententia con-
demnantur. Petro enim dicitur, Vade retro me Satana, id est, se-
quere me, qui contrarius es voluntati meæ. Ille audit, Vade Sa-
tana, & non ei dicitur retrò, vt subaudiatur, Vade in ignem
eternum. Hæc Hieronymus. Et hic sensus maxime literalis
ac genuinus est. Nam verba Christi Matth. 4. Vade Satana,
non habent illud, ὀπίωυς, post me: vt Origenes & Hiero-
onymus discretè annotarunt, etsi pauci Græci codices ita legat,
& vt rectè annotauit Lucas Brugensis ex alijs locis additum:
nec Matthæus Hebræus vel Syrus illam vocem habeat, sed
Epist. 5. *simpliciter, Vade: (vel vt textus Syriacus, Vade tibi, ܘܨ ܘܩ)*
vt etiam Ignatius ad Philipenses, Chrysostomus, Euthy-
mius & Anselmus legerunt. Fallitur igitur Caluinus dicens
diabolus eisdem verbis repulsum fuisse, quibus Petrus. Nec
Cap. 66. *rectè Cornelius Iansenius in sua Concordantia hanc Anno-*
tatio